



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

§. IV. De Consilio Roboami 3. Reg. 12.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

infamia, nec frequentantibus lupanaria portæ patent dignitatem; neque libertas datur quenquam ad ea compellendi, aut integras Civitates, Oppida, Ecclesias, Monasteria in lupanaria convertendi. Sed ne omnia inficiant, aliquæ areæ conceduntur, simetis & haræ porcis, imposito etiam tributo, ne magis alliciat gratuita peccandi licentia; neque impediuntur parentes aliique, quod minùs liberos inde avocent, aut delinquentes castigent. Multa ad hæc præclarè sunt instituta pluribus locis, quæ ad lupanarium odium & emendationem delinquentium valeant, ut domus erectæ pro pœnitentibus, &c. secus se habet PAX quam suspirant protestantes, ut ex dictis manifestum est. Ut verò in permissione lupanarium graviter aliquando peccari posse, aut solere non negamus; ita ejusmodi permissionem, si quidquam cooperationis habeat, non excusamus.

## §. IV.

## De Consilio Roboami, 3. Reg. 12.

**R**esp. Calumniam esse, non exemplum. Juvenes & Collanei consilium Roboamo dedere, cui obsecutus se & totum ferè Regnum perdidit; non Religionis, sed stulta & in subditos severitatis causa. Consilii de non sancienda Pace cum hereticis, qualem ipsi extorquere volunt, autores sunt, Christus magni Consilii Angelus, S. Paulus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, universæ Africæ Episcopi Catholici, S. Joannes Papa I. & Martyr, Paulus III. Paulus IV. Pius V. Urbanus VIII. Quorum autoritatem juvenilis consilii stultitiam infamare nefas judicamus. Suffragantur ad hæc nobis ab antiquo piissimi Impp. & semel atque iterum universi Catholici Imperii Status; denique Catholici Status Hungaricæ, omnesque Theologiae Veteris, solidæque sectatores.

Injuria vero est, infelices successus, præsertim ab anno 1630. his Theologis adscribere. Non magis illorum rei sunt, quam Christus furorum, preditionis, & suspendi Iuda, qui ad Consilia Exangelica & Apostolatum illum vocavit. Quid juris Religio Catholica

tholica habeat in Imperio, quod Officium Cæsaris sit in eo jure afferendo tuendoque, liberè & solidè exposuerunt. Non hinc fluxerunt infausti successus, sed ex victoriatum abusu, divitum luxu, perfidiâ, & partim desidiâ vel imperitia, pulcherrimarum occasionum neglectu, commeatuum rerumque necessariarum nulla provisione, quæ res plures exercitus consumperunt, quām hostis cædere potuisset; licentia item militari nec lecta nec audita, per quam justissimum bellum in publicum astrocinium degeneravit, aliis denique causis, quas non perinde explicare atque cogitare fas est.

## Ad X.

## Sententia probabilitas.

**R**esp. I. non esse sententiam, sed opinionem, nullâ ratione Theologica, neque auoritate legitima, sed præjudiciis ex Pace Religionis conceptis male nixam Rationes allatas veritatis larva detracta falsitatis convicimus Autoritatem, si qua obtenditur, elidit autoritas Summorum Pontificum, SS. Patrum & DD. qui ante Pacem Religionis scripsierunt. Neque postea quicquam Theologus produci posset, qui conditiones ejusmodi Facis examinaverit & scripto publico probaverit. Præcipuas egregiè refellit *Cardinalis Hosius* in suo ad Paulum IV. responsu, quem fecutus est *Antonius Possevinus* in Ep. ad Stephanum Regem Poloniæ. Libertatem Religionis Statibus Imperii in dicta Pace concessam, veluti illicitam operosè refutat *François Burkardus* Archi Episcopalis & Electoralis quondam Co'oniæ Cancellarius, in Autonomia Germanica, to. 2. quæst. 3. principali.

Eandem Pacem Religionis damnat, ejus nomine licet non expresso *Martinus Bocanus* in Manuali ejusq; Compendio lib. 5. cap. 16. num. 1. Hac duo distincta sunt art. I. Princeps Catholice concedit suis subditis ut fiant heretici, vel introducit heresim, vel introductam confirmat & ratam habet, vel ait quoque modo positive in eam consentit, & cooperatur. Princeps Catholi-

cub

